

(18. Tertio, dividitur in Excommunicationem, quæ fertur a Jure, et Excommunicationem, quæ fertur ab homine. (19. Quæ fertur a Jure est, cum per Legem, Canonem, Constitutionem, seu decretum aliquid prohibetur, vel præcipitur sub pœna Excommunicationis, seu Anathematis. (20. Quæ fertur ab homine est illa, quæ propter aliquod delictum per Judicis sententiam delinquenti infligitur. (21. Hinc patet supponi, censuram in genere aliam esse a jure, et aliam ab homine. Prima dicitur, quæ per aliquod jus lata est, habetque rationem quasi legis perpetuo obligantis, donec per legitimam auctoritatem non revocetur: sic censentur quæ latæ sunt a Sac. Canonibus ut in Bulla Cœnæ, Conciliis, etc. Secunda est, quæ fertur ab actuali aliquo legitimo superiore quasi per modum præcepti transeunter obligantis ad aliquid faciendum, vel omittendum; unde hæc per mortem ferentis cessat; adeo ut qui tunc contrafecerit, nullam excommunicationem incurreret: at qui ante illius mortem contrafecisset, etiam post censuram quam idcirco incurrisset, maneret innodatus, et absolutione indigeret. (22. Quarto dividitur in excommunicationem reservatam, et non reservatam; et ut facilius ab omnibus secernatur, quænam sint reservatæ, et non reservatæ, distinctæ in distinctos articulos,

loc. cit. num. 6. Ayalam confutavit Raynaudus *Oper. tom. 14, p. 514*, ostendens admonitionis loco esse promulgationem legis, aliquid fieri præcipientis, vel prohibentis sub pœna censurae. Rosemundi denique audaciam idem Benedictus XIV, l. c. num. 5, coercuit. (EDIT. BARBIELL.)

(1) Duas ex his speciatim commemorabo, quas nosse ad quorundam Pontificum auctoritatis osorum detegendas, extricandasque fallacias maxime facit. Prima excommunicationis species apud antiquos non infrequens, in nuda communionis subtractione, aut denegatione posita erat, qua nempe Episcopi vel Ecclesie a mutua communione sese separabant, atque una alteram quasi excommunicabat, licet sibi minime subjectam. Ita S. Epiphanius Salaminae Episcopus Joanni Hierosolymitano, qui nullo sibi titulo obnoxius erat, communionem denegavit, ut docet epistola inter Hieronymianam 110 *al. 60*. Hac excommunicationis specie usi interdum Romani ipsi Pontifices fuisse videntur, ut Stephanus I, si verum est, quod de eo Firmilianus narrat, noluisse illum Legatis Afris communionem concedere, quin illis tecto et hospitio interdixisset. Hæc enim vero communionis denegatio et a Veteribus excommunicatio dicebatur, excommunicatio tamen proprie dicta non erat, neque censura, immo ne pœna quidem, cum a Potestate, et usu clavium nequaquam penderet, atque etiam circa non subditos exerceretur: erat potius civilis quedam, et privata œconomia, qua Ecclesia una, aut aliquis Episcopus sponte sese alterius Ecclesie, aut Episcopi communione separabat, et quod ad Stephanum Pontificem pertinet, aliosque si qui sunt ejus Successores hoc excommunicationis genere usi, paterna potius severitas fuit ad revocandos ab errore Afros, paterna, inquam, ei nempe persimilis, quam pater, ut filium absterreat, atque ad bonam frugem reducat, exercere solet, illum conspectu suo prohibens, ab mensa, domoque ipsa arcens quin tamen de familia ejiciat.

Alterum Excommunicationis genus erat, cum Episcopi privabantur communione Charitatis Collegiarum, suarumque Ecclesiarum communione contenti

juxta distinctos personarum status, subnectuntur.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(23. Num excommunicatio Christianorum a Judaica excommunicatione originem traxerit non conveniunt inter se eruditi. Affirmat Selden. *de Synedr.* lib. 1. c. 9. Negat vero Bohemer. *in Decretal.* lib. 5. tit. 39, § 7.

(24. De variis excommunicationis speciebus, quæ tum antiquitus obtinuerunt, tum nunc obtinent, late agit Van-Espen. *Jur. Eccles. univer.* part. 3. tit. 11. cap. 3. per tot. (1).

(25. De natalibus excommunicationis ipso jure consule Bohemer. *in Decretal.* lib. 5. tit. 39, § 57. Et de natalibus excommunicationis minoris confer Morin. *Administr. Sacrament. Penitent.* lib. 6. cap. 15.

ARTICULUS II.

Excommunicationes summo pontifici reservatæ in Bulla Cœnæ.

Excommunicationes reservatæ in Bulla Cœnæ ideo tales dicuntur, quia Feria V. Cœnæ Domini legi et publicari consueverunt omni anno in Capella Papali, et istæ sunt num. viginti, quæ ut facilius, et clarius ab omnibus percipiantur, exhibentur hic, ut fuerunt publicæ in Bulla a Clemente XI edita tenoris sequentis.

esse jubebantur. Hujusmodi vero excommunicatio ne ipsa quidem censura erat; sed pœna quatuor hisce capitibus comprehensa, ut ait Murinus *Exercit. Eccles.* lib. 2. Exercit. 17. Privabantur enim Episcopi ea percursi mutua visitatione; solemni in Collegiarum Diocesi, dum in ea morarentur, etiam præsentem Collega, celebratione; Literarum formatarum, et commendatitiarum reciproca missione, et acceptatione; in Conciliis denique auctoritate, suffragiis, et consensu. Hanc pœnam Synodus Carthagenensis V. Can. 10. Tarraconensis II. Can. 20. Vormatiensis II. Can. 16. in Episcopum decrevere qui commonitus a Metropolitanano ad Synodum nulla gravi intercedente necessitate venire contemneret. Eandem pœnam Legati Sancti Leonis M. nonnullis Episcopis scelerum in latrocinio Ephesino admissorum complicitibus inflixerunt: quod et ipse Sanctissimus Pontifex probavit epist. 80. Baller. edit. his verbis: « illud quidem, quod præsentibus, et agentibus nostris constitutum est, approbamus ut suarum interim Ecclesiarum essent communione contenti. » Adde quæ hanc in rem profert hujus excommunicationis a Romanis Pontificibus inflictæ exempla S. Augustinus *epist.* 209, *al. 262, ad Cælestin.* R. P. num. 8. Atque hoc maxime animadvertendum propter quosdam, qui cum in Acaciano præsertim Schismate nonnullis Orientalium Sedis Episcopis Episcopalem Communionem a Summis Pontificibus denegatam scirent, eos propterea ab ipsis dixerunt Catholicæ Ecclesie communione privatos, ut inde cum Tillemontio tandem colligerent, illos ipsos, quos Romani Pontifices de Ecclesie communione ejecissent, haberi sanctos posse; quem crassissimum errorem a Bollandianis in historia Patriarcharum Constantinopolitanorum solide confutatum Cl. Patavinorum Pontifex, et S. R. E. Card. Sanctes Veronensis iterum aggressus est, penitusque profligavit præclarissimo opere posthumo Brixie 1783 evulgato, *de necessaria Fidelium communione cum Apostolica Sede* cap. 32, seqq. (EDIT. BARBIELL.)

Pastorals Romani Pontificis vigilantia, et sollicitudo, cum in omni Christianæ Reipublicæ pace, et tranquillitate procuranda pro sui muneris Officio assidue versatur, tum potissimum in Catholicæ Fidei, sine qua impossibile est placere Deo, unitate, atque integritate retinenda, et conservanda maxime elucet. Nimirum, ut Fideles Christi non sint parvuli fluctuantes, neque circumferantur omni vento doctrinæ in nequitia hominum ad circumventionem erroris; sed omnes occurrant in unitatem Fidei, et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum; neque se in hujus vitæ societate, et communione lædant, aut inter se alter alteri offensionem præbeat; sed potius in vinculo charitatis conjuncti, tamquam unius Corporis membra Christo capite, ejusque in terris Vicario Romano Pontifice, Beatissimi Petri Successore, a quo totius Ecclesie unitas dimanat, augeantur in ædificationem, atque ita, Divina gratia adjuvante, sic præsentis vitæ quiete gaudeant, ut futura quoque beatitudine perfuantur. Ob quas sane causas Romani Pontifices Prædecessores nostri hodierna die, quæ anniversaria Dominicæ Cœnæ commemoratione solemnis est, spiritualem Ecclesie disciplinæ gladium, et salutaria justitiæ arma per ministerium Summi Apostolatus ad Dei gloriam, et animarum salutem solemniter exercere consueverunt. Nos igitur, quibus nihil optabilius est, quam Fidei inviolatam integritatem, publicam pacem, justitiam, Deo auctore, tueri, vetustum, et solemnem hunc morem sequentes.

I. Excommunicamus, et anathematizamus ex parte Dei Omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, auctoritate quoque Beatorum Apostolorum Petri, et Pauli, ac Nostra, quoscumque Hussitas, Wiclefistas, Lutheranos, Zuinglianos, Calvinistas, Hugonottos, Anabaptistas, Trinitarios, et a Christiana fide Apostatas, ac omnes, et singulos alios Hæreticos quoscumque nomine censeantur, et cujuscunque sectæ existant, ac eis credentes, eorumque receptores, fautores, et generaliter quoslibet illorum defensores, ac eorumdem libros hæresim continentes, vel de Religione tractantes, sine auctoritate nostra, et Sedis Apostolicæ, scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes, ex quavis causa, publice, vel occulte, quovis ingenio, vel colore, nec non schismaticos, et eos qui se nostra et Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt, vel recedunt.

II. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes, et singulos cujuscunque status, gradus, seu conditionis fuerint; Universitates vero, Collegia, et Capitula quocumque nomine nuncupentur, interdicimus, ab Ordinationibus, seu mandatis nostris, ac Romanorum Pontificum, pro tempore existentium; ad universale futurum Concilium

(1) Qua vetatur fidelibus deferre arma etc. ad Turcas. non afficit fideles Turcarum imperio subje-

appellantes, nec non eos, quorum auxilio, consilio, vel favore appellatum fuerit.

III. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes Piratas, Corsarios, et Latrunculos Maritimos discurrantes mare nostrum, præcipue a monte Argentario usque ad Terracinam, ac omnes eorum fautores, receptores, et defensores.

IV. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes, et singulos, qui Christianorum quorumcunque Navibus tempestate, seu in transversum (ut dici solet) jactatis, vel quoquo modo naufragium passis, sive in ipsis Navibus, sive ex eisdem ejecta in Mari, vel inventa cujuscunque generis bona, tam in nostris Tyrrheni, et Adriatici, quam in ceteris cujuscunque Maris regionibus, et littoribus subriperint, ita ut nec ob quocumque privilegium, consuetudinem, aut longissimi, et immemorabilis temporis possessionem, seu alium quemcumque prætextum, excusari possint.

V. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes, qui in Terris suis nova Pedagia, seu Gabellas, præterquam in casibus sibi a Jure, seu ex specialis Sedis Apostolicæ licentia permissis, imponunt, vel augent, seu imponi vel augeri prohibita exigunt.

VI. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes Falsarios literarum Apostolicarum etiam in forma Brevis, ac supplicationum, gratiam vel justitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vicecancellarios, seu gerentes vices eorum, aut de mandato ejusdem Romani Pontificis signatarum; nec non falso publicantes literas Apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes hujusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vicecancellarii, aut gerentium vices prædictorum.

VII. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas, et alios Christiani nominis hostes, et inimicos, vel Hæreticos per nostras, sive hujus Sanctæ Sedis sententias expresse, et nominatim declaratos deferunt, seu transmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, stannum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, ligamina, canapem, funes, tam ex ipso canape, quam alia quacumque materia, et ipsam materiam, aliisque hujusmodi, quibus Christianos, et Catholicos impugnant, nec non illos, qui per se, vel per alios, de rebus statum Christianæ Reipublicæ concernentibus, in Christianorum perniciem, et damnum, ipsos Turcas, et Christianæ Religionis inimicos, nec non Hæreticos, in damnum Catholicæ Religionis, certiores faciunt, illisque ad id auxilium, consilium, et favorem quomodolibet præstant. Non obstantibus quibuscumque privilegiis, quibusvis personis, Principibus, Rebuspublicis per Nos, et Sedem prædictam hætenus concessis, de hujusmodi prohibitione expressam mentionem non facientibus (1).

ctos, qui imperantibus illis arma suppeditant, alio transvehunt, dummodo id peragant amoto animo

VIII. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes impediētes, seu invadentes eos, qui victualia, seu alia ad usum Romanæ Curie necessaria adducunt, ac etiam eos, qui, ne ad Romanam Curiam adducantur, vel afferantur, prohibent, impediunt, seu perturbant, seu hæc facientes defendunt per se, vel alios, cujuscunque fuerint Ordinis, præminentie, conditionis, et status; etiamsi Pontificali, seu Regali, aut alia quavis Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate.

IX. Item excommunicamus, anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apost. venientes, vel recedentes ab eadem, sua, vel aliorum opera, interficiunt, mutilant, spoliunt, detinent; nec non illos omnes, qui jurisdictionem ordinariam, vel delegatam a Nobis vel nostris Judicibus, non habentes, illam sibi temere vindicantes, similia contra morantes in eadem Curia audent perpetrare.

X. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes seu deprædantes Romipetas, seu Peregrinos ad Urbem, causa devotionis, seu peregrinationis accedentes, et in ea morantes, vel ab ipsa recedentes, et in his dantes auxilium, consilium, vel favorem.

XI. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eos a suis Diocesis, Territoriis, Terris, seu dominiis ejicientes; nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu præstantes in eis auxilium, vel favorem.

XII. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes illos, qui per se, vel per alias Personas Ecclesiasticas quascunque, vel sæculares ad Romanam Curiam, super eorum causis, negotisque recurrentes, ac illa in eadem Curia prosequentes, aut procurantes, negotiorum Gestores, Advocatos, Procurantes, et Agentes, seu etiam Auditores, vel Judices, super dictis causis, vel negotiis deputatos, occasione causarum, vel negotiorum hujusmodi occidunt, seu quoquomodo percutiunt, bonis spoliunt; seu, qui per se, vel per alios directe, vel indirecte delicta hujusmodi committere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem præstare non verentur, cujuscunque præminentie, et dignitatis fuerint.

XIII. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes, tam Ecclesiasticos, quam sæculares cujuscunque Dignitatis, qui præ-

iniquo nocendi fidelibus. *Benedict. XVI. de Synodo Dioc. lib. 13, cap. 20, § 6, nov. edit.*

Ad postulata Episcoporum Albanensium rescriptum fuit a Congregatione de Propaganda Fide, mandante Pontifice, ne inquietarentur fideles, si navibus suis ad Turcas, nullo bello inter Christianos et Turcas furente, transvehant scypos majores; aut minores, gladios, plumbeas glandes, nitratum pulverem, chalybem, ferrum, aurichalcum, æs, funes,

textentes frivolum quamdam appellationem a gravamine, vel futura executione litter. Apost. etiam in forma Brevis, tam gratiam, quam justitiam concernentium, nec non citationum, inhibitionum, sequestrationum, monitoriorum, processuum, executorialium, et aliorum decretorum a Nobis, et a Sede prædicta, seu Legatis, Nunciis, et Præsentibus Palatii nostri, Camere Apostolicæ Auditoribus, Commissariis, aliisque Judicibus, et Delegatis Apostolicis emanatorum, et quæ pro tempore emanaverint, aut alias ad Curias sæculares, et laicam Potestatem recurrunt, et ab ea, instante etiam Fiscus Procuratore, vel Advocato, appellationes hujusmodi admitti, ac litteras, citationes, inhibitiones, et sequestra, monitoria, et alia prædicta capi et teneri faciunt, quive illa simpliciter, vel sine eorum beneplacito, et consensu, vel examine executioni demandari, aut ne Tabelliones, et Notarii super hujusmodi litterarum, et processuum executioni, instrumenta, vel Acta conficere, aut confecta, parti, cujus interest, tradere debeant, impediunt, vel prohibent, ac etiam partes, seu eorum agentes, consanguineos, affines, Familiares, Notarios, Exequutores, et Subexequutores litterarum, citationum, monitoriorum, et aliorum prædictorum capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex Civitatibus, Locis, et Regnis ejiciunt, bonis spoliunt, perterrefaciunt, conculcunt, et comminantur per se, vel per alium, seu alios publice, vel occulte, quive alias quibuscunque personis in genere, vel in specie, ne pro quibusvis eorum negotiis prosequendis, seu gratiis, vel litteris impetrandis, ad Romanam Curiam accedant, aut recursum habeant, seu gratias ipsas, vel litteras a dicta Sede impetrent, seu impetratis utantur, directe prohibere, statuere, seu mandare, vel eas apud se, aut Notarios, seu Tabelliones, vel alias quomodolibet retinere præsumunt.

XIV. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes, et quoscunque, qui per se, vel per alios, auctoritate propria, ac de facto, quorumcumque exemptionum, vel aliarum gratiarum, et litterarum Apostolicarum prætextu beneficiale, et decimarum, ac alias causas spirituales, et spiritualibus annexas, ab Auditoribus, et Commissariis nostris, aliisque Judicibus Ecclesiasticis avocant, illarumve cursum, et audientiam, ac personas, Capitula, Conventus, Collegia, causas ipsas prosequi volentes impediunt, ac se de illarum cognitione tamquam Judices interponunt: quive partes actrices, quæ illas committi fecerunt, et faciunt, ad revocandum, et revocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias litteras in eis decre-

et alia ad naves bellicas instruendas idonea, adhibito tamen modo quoad numerum, et quantitatem ut fieri ab illis solebat. Firmam tamen voluit prohibitionem transvehendi vel pacis tempore, vel belli mortaria, incendiarias pilas, tormenta bellica majora, plumbeos, aut ferreos majoris moduli globos, ipsosque scypos ingenti numero. Quæ tamen facultas illis facta est, quia non aliter possunt victum sibi comparare atrocesque persecutiones evitare. *Ibid. § 7.*

tas, et ad faciendum, vel consentiendum, eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, a censuris, et pœnis in illis contentis absolvi, per statutum, vel alias, compellunt, vel executionem litterarum, seu executorialium, processuum, ac decretorum prædictorum, quomodolibet impediunt, vel suum, ad id, favorem, consilium, aut assensum præstant, etiam prætextu violentie prohibendæ, vel aliarum prætensionum, seu etiam donec ipsi ad Nos informandos, ut dicunt, supplicaverint, aut supplicari fecerint, nisi supplicationes hujusmodi coram Nobis, et Sede Apostolica legitime prosequantur, etiamsi talia committentes fuerint Præsidentes Cancelliarum, Consiliorum, Parlamentorum, Cancellarii, Vicecancellarii, Consiliiarii Ordinarii, vel Extraordinarii quorumcumque Principum sæcularium, etiamsi Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacunque præfulgeant dignitate, et Archiepiscopi, Abbates Commandatarii, seu Vicarii fuerint.

XV. Quive ex eorum prætenso Officio, vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcumque, Personas Ecclesiasticas, Capitula, Conventus, Collegia Ecclesiarum quarumcumque coram se ad suum Tribunal, Audientiam, Cancellariam, Consilium, vel Parlamentum, præter Juris Canonici dispositionem trahunt, vel trahi faciunt et procurant directe, vel indirecte, quovis quaesito colore; Necnon qui Statuta, Ordinationes, Constitutiones, Pragmaticas, seu quavis alia decreta in genere, vel in specie, ex quavis causa, quovis quaesito colore, ac etiam prætextu cujusvis Consuetudinis, aut Privilegii, vel alias quomodolibet fecerint, ordinaverint, et publicaverint, vel factis, et ordinatis usi fuerint; unde libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut alias quovis modo restringitur, seu nostris, et dictæ Sedis, ad quarumcumque Ecclesiarum juribus quomodolibet directe, vel indirecte, tacite, vel expresse præjudicatur.

XVI. Nec non Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Superiores, et Inferiores Prælatos, et omnes alios quoscunque Judices Ecclesiasticos Ordinarios quomodolibet hæc de causa directe, vel indirecte carcerando, vel molestando eorum Agentes, Procuratores, Familiares, nec non Consanguineos, et affines, aut alias impediunt, quominus sua Jurisdictione Ecclesiastica contra quoscunque utantur, secundum quod Canones, et Sacræ Constitutiones Ecclesiasticæ, et Decreta Conciliorum Generalium, et præsertim Tridentini, statuunt; ac etiam eos, qui post ipsorum Ordinariorum, vel etiam ab eis delegatorum quorumcumque sententias, et decreta, aut alias Fori Ecclesiastici judicium eludentes, ad Cancellarias, et alias Curias sæculares recurrunt, et ab illis prohibitiones, et mandata, etiam penalia Ordinariis, et Delegatis prædictis decerni, et contra illos exequi procurant; eos quoque, qui hæc decernunt, et exsequuntur, seu dant auxilium, consilium, patrocinium, et favorem in eisdem.

XVII. Quive jurisdictiones, seu fructus,

redditus, et proventus ad Nos, Sedem Apostolicam, et quascunque Ecclesiasticas Personas, ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, et aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes, usurpant, vel etiam quavis occasione, vel causa, sine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia sequestrant.

XVIII. Quive Collectas, Decimas, talleas, præstantias, et alia opera Clericis, Prælati, et aliis Personis Ecclesiasticis, ac eorum Ecclesiarum, Monasteriorum, et aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus et proventibus hujusmodi, absque simili Romani Pontificis speciali, et expressa licentia imponunt, et diversis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita, etiam a sponte dantibus, et concedentibus recipiunt. Nec non qui per se, vel alios, directe, vel indirecte prædicta facere, exsequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem præstare non verentur, cujuscunque sint præminentie, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiamsi Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, seu Principes, Duces, Comites, Barones, et alii potentates quicumque, etiam Regnis, Provinciis, Civitatibus, et Terris quoquomodo Præsidentes, Consiliiarii, et Senatores, aut quavis etiam Pontificali dignitate insigniti. Innovantes decreta super his per Sacros Canones, tam in Lateranensi novissime celebrato, quam aliis Conciliis Generalibus edita, cum Censuris, et pœnis in eis contentis.

XIX. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes, et quoscunque Magistratus, et Judices, Notarios, Scribas, Exsecutores, Subexsecutores quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seu Criminalibus contra Personas Ecclesiasticas, illas processando, hanniendo, capiendo, seu sententias contra illas proferendo, vel exsequendo, sine speciali, specifica, et expressa hujus Sedis Apostolicæ licentia, quique hujusmodi licentiam ad personas, et casus non expressos extendunt, vel alias illa perperam abutuntur, etiamsi talia committentes fuerint Consiliiarii, Senatores, Præsidentes, Cancellarii, Vicecancellarii, aut quovis alio nomine nuncupati.

XX. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes illos, qui per se, seu alios directe, vel indirecte sub quocunque titulo, vel colore, invadere, destruere, occupare, et detinere præsumperint in totum, vel in partem Almam Urbem, Regnum Siciliae, Insulas Sardiniae, et Corsicæ, Terras citra Pharium, et Patrimonium B. Petri in Thuscia, Ducatum Spoletan., Comitatum Venaysinum, Sabinen., Marchiam Anconitanæ, Massæ Trebariæ, Romandioliæ, Campaniæ, et Maritimas Provincias, illarumque Terras, et loca, ac Terras specialis commissionis Arnulforum, Civitatesque nostras Bononiam, Casenam, Ariminum, Beneventum, Perusium, Avenionem, Civitatem Castellii, Tudertum, Ferrariam, Comaculum, et alias Civitates, Terras, et Loca, vel jurâ ad ipsam Romanam Ecclesiam

pertinentia, dictæque Romanæ Ecclesiæ mediate, vel immediate subjecta; necnon supremam jurisdictionem in illis Nobis, et eidem Romanæ Ecclesiæ competentem, de facto usurpare, perturbare, retinere, et vexare variis modis præsumunt; necnon adherentes, fautores, et defensores eorum, seu illis auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstantes.

Volentes præsentibus nostris processibus, ac omnia, et quæcumque his litteris contenta, quousque alii hujusmodi processibus a Nobis, aut Romano Pontifice pro tempore existente fiant, aut publicentur, durare, suosque effectus omnino sortiri.

Cæterum a prædictis sententiis nullus per alium, quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, et satisfaciendo cautione præstita absolvi possit, etiam prætextu quarumvis facultatum, et indulgentiarum quibuscunque Personis Ecclesiasticis, sæcularibus, et quorumvis Ordinum etiam mendicantium, ac Militiarum Regularibus, etiam Episcopali, vel alia majori dignitate præditis, ipsisque Ordinibus, et eorum Monasteriis, Conventibus, et Domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, et Locis piis, necnon Laicis, etiam Imperiali, Regali, et alia mundana excellentia fulgentibus, per Nos, et dictam Sedem ac cujusvis Concilii decreta, verbo, litteris, aut alia quacunque scriptura in genere, vel in specie concessorum, innovatorum, aut concedendorum, et innovandorum.

Quod si forte aliqui contra tenorem præsentium talibus excommunicatione, et anathemate laqueatis, vel eorum alicui, absolutionis beneficium impendere de facto præsumpserint, eos excommunicationis sententia innodamus, gravius contra eos spiritualiter, et temporaliter, prout expedire noverimus processuri.

Declarantes, ac protestantes quæcumque absolutionem, etiam solemniter per Nos faciendam prædictos excommunicatos sub præsentibus comprehensos, nisi prius a præmissis cum vero proposito ulterius similia non committendi destiterint, ac quoad eos, qui contra Ecclesiasticam libertatem, ut præfertur, statuta fecerint, nisi prius statuta, ordinationes, Constitutiones, pragmaticas, et decreta hujusmodi publice revocaverint, et ex Archivis, seu Capitularibus, locis, aut libris, in quibus annotata reperiuntur, deleri, et cassari, ac Nos de revocatione hujusmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter suffragari, quin etiam per hujusmodi absolutionem aut quoscunque alios actus contrarios tacitos, vel expressos, ac etiam per patientiam, tolerantiam nostram, vel Successorum nostrorum, quantocunque tempore continuatam, in præmissis omnibus, et singulis, ac quibuscunque juribus Sedis Apostolicæ, ac S. R. E. undecunque, et quandocunque quæsitis, vel quærendis nullatenus præjudicari posse, aut debere.

Non obstantibus privilegiis, indulgentiis,

indultis, et litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus supradictis, vel eorum alicui, seu aliquibus aliis cujuscunque Ordinis, status, vel conditionis, dignitatis, et præeminentiæ fuerint, etiamsi, ut præfertur, Pontificali, Imperiali, Regali, seu quavis Ecclesiastica, et mundana præfulgeant dignitate, vel eorum Regnis, Provinciis, Civitatibus, seu locis a prædicta Sede, ex quavis causa, etiam per viam contractus, aut remunerationis, et sub quavis alia forma, et tenore, ac cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriis concessis, etiam continentibus, quod excommunicari, anathematizari, vel interdici non possint per Litteras Apostolicas, non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum de privilegiis, indulgentiis, indultis hujusmodi, ac de Ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus, et dignitatibus eorum mentionem, necnon consuetudinibus, etiam immemorabilibus, præscriptionibus quantumcunque longissimis, et aliis quibuslibet observantiis, scriptis, vel non scriptis, per quæ contra hos nostros Processus, ac sententias, quominus includantur, in eis se juvare valeant, vel tueri, quæ omnia quoad hoc eorum omnium tenore, ac si ad verbum, nihil penitus omissis, insererentur, præsentibus pro expressis habentes penitus tollimus, et omnino revocamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Ut vero præsentibus nostris Processibus, ad publicam omnium notitiam facilius deducantur, chartas, seu membranas Processus ipsos continentes, valvis Basilicæ S. Joan. Lateranensis, et Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe appendi faciemus, ut ii, quos Processus hujusmodi concernunt, quod ad ipsos non pervenerint, aut quod ipsos ignoraverint, nullam possint excusationem prætere, aut ignorantiam allegare, cum non sit verisimile, id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur. Insuper ut Processus ipsi, et præsentis litteræ, ac omnia, et singula in eis contenta eo fiant notiora, quo in plerisque Civitatibus, et locis fuerint publicata, universis, et singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, et locorum Ordinariis, et Prælatibus ubilibet constitutis, per hæc scripta committimus, et in virtute sanctæ Obedientiæ districte præcipiendo mandamus, ut per se, vel alium, seu alios præsentibus litteras, postquam eas receperint, seu earum habuerint notitiam, semel in anno, aut si expedire viderint, etiam pluries, in Eccl. suis, dum in eis major populi multitudo ad divina convenierit, solemniter publicent, et ad Ch. fidel. mentes reducant, nuntient, et declarent.

Cæterum Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, alique locorum Ordinarii, et Ecclesiarum Prælati, nec non Rectores, ceterique curam animarum exercentes, ac Presbyteri sæculares, et quorumvis Ordinum Regulares, ad audiendas peccatorum confessiones quavis auctoritate deputati, transumptum præsentium litterarum penes se habeant, easque diligenter legere, et percipere studeant.

Volentes earundem præsentium transumptis, etiam expressis, Notarii publici manu subscriptis, et Sigillo Judicis Ordinarii Romanæ Curie, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, munitis, eandem prorsus fidem in iudicio et extra illud, ubique locorum, adhibendam fore, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ excommunicationis, anathematizationis, interdicti, innovationis, innodationis, declarationis, protestationis, sublationis, revocationis, commisionis, mandati, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ 24 Martii 1701.

ARTICULUS III.

Excommunicationes summo pontifici reservatæ extra bullam Cænæ.

Contra Prælatos Ecclesiæ.

1. Prælatos vexantes Censuris commorantes in servitio Papæ. Extravag. 3, *de Privileg.*

2. Prælatos trahentes personas Ecclesiasticas ad Forum Laicale; Martin. V. Constit. incipient. *Ad reprimenda.*

3. Cardinales, qui per Simoniam ambiunt Papatum, aut cum aliquo tractant de eligendo Pontifice, dum actu vivit Pontifex; Paul. IV. Const. incip. *Cum secundum.*

4. Cardinales aliquid ordinantes, seu disponentes contra Bullam Julii II. in electione Summi Pontificis, Julius II. Constit. incipient. *Cum tam Divino.*

5. Cardinales revelantes aliquid de actis secreto in consistorio, exstante decreto Pontificis ne revelentur. Leo X. in *Conc. Lateranens.*, sess. 9. et Pius V. Const. incip. *Romani.*

6. Episcopos, aliosque Beneficiorum Colatores conferentes Beneficia Ecclesiastica post suspensionem contractam, admittendo eorum resignationes extra casus designatos, et ultra formam præscriptam. Pius V. Constit. incip. *Quanta est Ecclesia Dei.*

7. Administratores Episcopatum, et inferiores Episcopis publicantes Indulgentias cum amplis privilegiis, et cum suspicione Simonie. Pius V. Constit. incip. *Quam plenum.*

8. Inquisitores male procedentes contra Hæreticos. Clementina *Multorum*, § *Verum, de Hæret.*

9. Prælatos, et Governatores Civitatum, et locorum status Ecclesiastici recipientes munera præter comestibilia. Paul. II. Constit. incip. *Munera.*

10. Prælatos, et Officiales Pœnitentiariæ recipientes pro expeditione aliquid etiam sponte oblatum a partibus. Pius V. Constit. incip. *in omnibus rebus.*

11. Prælatos, et ministros Camere Apostolicæ non reddentes integre computa ejus-

dem. Paul. III. Constit. incip. *Cum sicut.*
Contra Clericos Seculares et Regulares.

1. Inducentes ad jurandum de eligenda, vel de electa non mutanda sepultura in eorum Ecclesiis. Clement. *Cupientes* § *Sane, de Pœnis.*

2. Participantes in divinis cum excommunicato a Papa; cap. *Significavit, de Sentent. excomm.*

3. Retinentes Beneficia in confidentiam. Pius IV. Constit. incip. *Romanum Pontificem*, et Pius V. Constit. incip. *Intolerabilis.*

4. Procurantes alienationes honorum Ecclesiæ. Paul. II. Constit. incip. *Cum in omnibus.*

5. Prædicatores non servantes decreta pro eis lata in Concilio Lateranensi. Leo X. Const. incip. *Supernæ.*

6. Procurantes eligi in successorem Papæ. Leo X. in *Conc. Lateranens.*, sess. 5. Julius II. Constit. incip. *Cum tam divino.*

7. Absolventes sub prætextu privilegiorum a casibus Bullæ Cænæ, vel Ordinariis reservatis. Decretum Sacræ Congreg. Episcop. et Regular. a Clemente VIII. approbatum 1602.

8. Consentientes usurpationibus Ecclesiarum. Concilium Tridentinum, c. 11, sess. 22, *de Reform.*

9. Trahentes Personas Ecclesiasticas ad Forum laicale. Martin. V. Constit. incipient. *Ad reprimendas.*

10. Parochos, et Beneficiatos non adimplentes juramenta de residendo. Pius IV. Constit. incip. *Inter multiplices curas.*

Contra Regulares.

1. Euntes ultra mare sine licentia suorum Superiorum. Extravagant. *Ad nostrum, de Regular.*

2. Mendicantes transeuntes ad non mendicantes. Extravagant. *Viam Ambitiosæ, de Regular.*

3. Administrantes Sacramenta Extremæ Uctionis, et Eucharistiæ infirmis, vel matrimoniis solemnizantes sine licentia Parochi. Clement. 1, *de Privileg.*

4. Superiores non denuntiantes Religiosos qui sunt suspecti de hæresi, Inquisitoribus, vel Ordinariis locorum. Paul. V. Constit. incip. *Romanus Pontifex.*

5. Claustrales recipientes Minimos sine licentia Papæ. Julius II. Constit. incip. *Virtute conspicuos*, extra Bullarium.

6. Tertiarios portantés Habitum Minorum. Leo X. Constit. *Licet alias*, extra Bullarium.

7. Clericos Regulares Societatis Jesu discedentes sine licentia a Societate, etiamsi prætextu melioris frugis transeant ad alium Ordinem, eorumque receptores, Carthusianis exceptis. Greg. XIII. Constit. incipient. *Ascendente.*

8. Minimos subtrahentes se ab observantia Correctorum. Paul. III. Constitution. incipient. *Cum sicut.*

9. Subornantes, et procurantes vota in